

[1077]<sup>1</sup>

8

*Sancho Ramírez, rey de Aragón y Pamplona, otorga fueros a todas las personas que fuesen a poblar a Jaca, que se convierte por este motivo en ciudad.*

AMJ, pergamino suelto, copia visigótica siglo XII (B).

AMJ, *Libro de la Cadena*, fol. 1 vuelto-4, copia finales del siglo XIII

(C).

Ed. P. HUESCA, *Teatro histórico*, VIII, p. 440.

Ed. MUÑOZ Y ROMERO, *Colección de fueros*, p. 235.

Ed. YAGUAS, *Diccionario de antigüedades*, II, p. 268-269.

Ed. ZUAZNABAR, *Ensayo histórico-crítico sobre la legislación de Navarra*, II, p. 100.

Ed. LLORENTE, *Noticias históricas*, III, p. 454.

Ed. SANGORRIN, *El Libro de la Cadena*, p. 85.

Ed. ARCO, Ricardo del, *El pergamino original del fuero de Jaca concedido por el rey Sancho Ramírez*, en "Boletín de la Real Academia de la Historia", 86 (Madrid 1925), p. 474-485.

Ed. RAMOS LOSCERTALES, José Ma<sup>a</sup>, *Recopilación de Fueros de Aragón*, en "Anuario de Historia del Derecho Español", 5 (Madrid 1928), 408-411.

Ed. MOLHO, Mauricio, *El fuero de Jaca*, en "Fuentes para la Historia del Pirineo", I (Zaragoza 1964), p. 3-5.

[*Crismon*] In nomine Domine nostri Ihesu Christi et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Hec est carta auctoritatis et confirmationis quam ego Santius, gratia Dei Aragonensium rex et Pampilonensium, facio vobis.

Notum omnibus hominibus qui sunt usque in orientem et occidentem et septemtrionem et meridiem, quod ego volo constituere civitatem in mea villa que dicitur Iaka<sup>1</sup>.

1. Inprimis condono vobis omnes malos fueros quos abuistis usque in hunc diem quod ego constitui Iakam esse civitatem; et ideo, quod ego volo quod sit bene populata, concedo et confirmo vobis, et omnibus qui populaverint in Iaca mea civitate, totos illos bonos fueros quos michi demandastis ut mea civitas sit bene populata.

2. Et unus quisque claudat suam partem secundum posse.

3. Et si evenerit quod aliquis ex vobis venisset<sup>2</sup> ad contencionem, et percuciet aliquem ante me vel in palatio meo, me ibi stante, pariet mille solidos aut perdat pugnum.

4. Et si aliquis, vel miles vel burgensis aut rusticus, percusserit aliquem, et non ante me nec in meo palatio, quamvis ego sim in iaca, non pariet colonia, nisi secundum forum quod habetis quando non sum in vila.

5. Et si evenerit causa quod si aliquis qui sit hoccisus in furto fuerit inventus in iaca aut in suo termino, non parietis homicidium.

6. Dono et concedo vobis et successoribus vestris, cum bona voluntate, ut non eatis in hoste nisi cum pane dierum trium; et hoc sit per nomen de lite campale aud ubi ego sim circumdatus, vel successoribus meis, ab inimicis nostris. Et si domnus domus illuc non volet ire, mitat pro se uno pedone armato.

7. Et ubicumque aliquid comparare vel acaptare potueritis in iacam, vel foras iacam, hereditatem de ullo homine, abeat is eam liberam et ingenuam sine ullo<sup>3</sup> malo cisso.

8. Et postquam anno uno et die supra eam tenebitis sine inquietatione, quisquis eis inquietare vel tollere vobis voluerit, det michi LX solidos; et insuper confirmet vobis hereditatem.

9. Et quantum uno die ire et reddere in omnibus partibus potueritis, abeat is pascua et silvas in omnibus locis, sicuti homines in circuitu illius abent in suis terminis.

10. Et quod non faciatis bellum duellum inter vos, nisi ambobus placeat<sup>4</sup>; neque cum hominibus de foris, nisi voluntate hominibus iacce.

11. Et quod nullus ex vobis sedeat captus dando fidanzas de vestro pede.

12. Et si aliquis ex vobis cum aliqua femina, excepto maritata, fornicationem faciatis voluntatem mulieris, non detis coloniam. Et si sit causa quod eam forçet, det ei marito aut accipiat per uxorem. Et si mulier forzata se clamat prima die vel secunda, aprobeat per veridicos testes iaccenses. Post tres dies transactos, si clamare voluerit, nichil ei valeat.

13. Et si aliquis ex vobis, iratus, contra vicinum suum armas traerit: lancea, spada, maza vel cultrum, donet inde mille solidos aut perdat pugnum.

14. Et si unus hocciderit ad alium, peitet D solidos.

15. Et si unus ad alium cum pugno percuxerit vel ad capillos apprehenderit, peitet inde XX. V solidos.

16. Et si in terram iactet, peitet CC. L. solidos.

17. Et si aliquis in domo vicini sui iratus intraverit, vel pignora inde traxerit, peitet XX. V solidos domno domus.

18. Et quod merinus meus non accipiat coloniam de ullo homine

Iacce nisi per laudamentum de sex melioribus vicinis Iaccensibus.

19. Et nullus ex omnibus hominibus de Iaca non vadat ad iudicium in nullo loco nisi tantum intus Iacam.

20. Et si aliquis falsa mensuram vel pesum tenuerit, peitet LX solidos.

21. Et quod omnes homines vadant ad mōlendum in molendinis ubi voluerint, exceptis iudeis et qui panem causa vendicionis faciunt<sup>5</sup>.

22. Et non detis vestras honores nec vendatis ad ecclesiam neque ad infanzones.

23. Et si aliquis homo est captus pro avere quod debeat, ille qui voluerit capere illum hominem cum meo merino capiat; et in palatio meo mitat, et meus carcerarius servet eum; et tribus diebus transactis, ille qui cepit eum det ei cotidie unam obolatam<sup>6</sup> panis; et si noluerit facere, meus carcerarius eiciat eum foras.

24. Et si aliquis homo pignoraverit sarracenus vel sarracenam vicini sui mitat eum in palatio meo; et domnus sarraceni vel sarracene det ei panem et aquam, quia est homo et non debet ieiunare sicuti bestia.

Et quicumque voluerit istam cartam quam fatio populatoribus Iacce pro crudelitate sua dirumpere, sit excommunicatus et anatematizatus et omnino separatus a toto Dei consorcio, si sit de meo genere vel de alio. Amen, amen, amen. Fiat, fiat, fiat.

Facta carta in anno ab Incarnationis Domini nostri Ihesu Christi [Iac.], era T<sup>a</sup>. Ca. [Iac.].

Ego Santius, gratia Dei Aragonensium rex et Pampilonensium, hec supradicta iussi et hoc signum [*signo de Sancho Ramirez*] Sancii manu mea feci.

Ego Petrus, filius Sancii Aragonensium regis, filii Ranimiri regis, hec supradicta scribi volui et hoc signum [*signo de Pedro I en caracteres arábigos*] manu mea feci.

\*Para la fecha ver las páginas 16-17 de este libro.

1 Iacca. C. 2 veniat. C. 3 ullo, C. 4 placuerit. C. 5 exceptis iudeis faciunt, *letra de siglo XIV en C.* 6 obulatam, C.